



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Hermes Theologicvs, Id est Synopsis totius Theologiæ, perspicuè, doctè, subtiliter, ac breviter discussa**

Et In octo Partes ... distincta ...

De Deo Vno, & Trino

**Vindalium, 1646**

Sect. III. An sit sapientia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38742**

3 PROOEMIUM.

claratione, aut probatione Myfteriorum  
fidei, iis propofitis ftatim aſſentiatur.

---

SECTIO III.

*An fit Sapientia.*

CONCLUSIO VNICA.

**T**heologia noſtra meretur proprie  
nomen ſapientia.) Ratio eſt, quia  
conditiones verae ſapientia illi compe-  
tunt, agit enim de rebus propè infinitis,  
quæ ſub reuelationem cadunt; conſide-  
rat res difficillimas, & à ſenſu remotiſ-  
ſimas; multo maiorem habet certitudi-  
nem quam ſcientia naturalis; verſatur  
circa cauſas vniuerſaliſſimas rerû om-  
nium, & per illas iudicat de inferiori-  
bus ſcientiis, eaſque dirigit ad verita-  
tem: ac denique ipſa non ordinatur ad  
alias, quin potiùs alia debent ad eam  
ordinari, vt illi famulentur, & ab ea  
corrigantur.

Neque refert, quod in vulgari diui-  
ſione habituum intellectualium, ſapientia  
ponatur vt habitus à ſcientia diſtin-  
ctus: nam duobus modis poteſt aliquid

distingui ab alio, nempe per exclusio-  
nem, aut per maiorem inclusionem.  
At sapientia distinguitur à scientia hoc  
posteriori modo, quatenus illam inclu-  
dit, & aliquid aliud: vel dic, in illa  
enumeratione habituum sapientiam di-  
stingui à scientia, prout hæc sumitur  
pro habitu conclusionum spectantium  
ad scientias inferiores.

Neque etiam refert, quod Theolo-  
gia varias propositiones mutuetur à  
scientiis naturalibus; id enim non im-  
pedit, quin vera sit sapientia, quia eius-  
modi propositiones non sumit ab illis  
vt à superioribus, sed potius tanquam  
ab inferioribus, & ancillis, quibus utitur  
propter defectum intellectus nostri, vt  
scilicet per ea quæ sunt nota lumine  
naturali, facilius euehatur ad cog-  
nitionem supernaturalium, quæ in hac  
scientia traduntur, vt S. Doctor obseruat.  
I. p. q. 1. art. 3. ad 2.

Accedit quod Theologia ita utitur  
propositionibus philosophicis, vt de iis  
iudicet, neque eas admittat, nisi quate-  
nus nouit suis principiis esse consenta-  
neas. Vnde respicit illud. Accidentis es-  
se est inesse; quia ex eo sequeretur, in  
Eucharistia, post consecrationem, ac-  
cidentia panis, & vini non esse sine

16 PROOEMIUM.  
subiecto; quod repugnat fidei, & sic  
de aliis.

---

SECTIO IV.

*An sit scientia & scientijs natu-  
ralibus præstet.*

CONCLUSIO I.

**T**heologia non incongruè dici po-  
test scientia propria. ) Ratio est,  
tum quia Theologia non potest com-  
modè reduci ad vllum alium habitum  
intellectuū, quàm ad scientiam, vt con-  
sideranti patebit, tum quia cognitio  
discursiua, habens omnimodam certi-  
tudinem, meritò scientia vera & propria  
dici potest, etsi non habeat euidenti-  
am: ideò enim Philosophi requirunt eui-  
denti-  
am in scientiis naturalibus, quia  
nulla cognitio naturalis potest esse  
certa, nisi sit euidens; atqui Theologia  
est cognitio discursiua, eaque certissima,  
vtpote innixa principiis fidei: ergo est  
verè, & propriè scientia, esto non sit  
euidens.

Nota Theologiam defectu euidentiæ,  
non habere quidquid Philosophi com-